



1. Disputatio de Providentia
2. Disput. de vera dei Invocatione.
3. Themat. (1) de verbo dei (2) de deo ipso.
4. De peccato.
5. De justificatione et bonis operibus.
6. De communicatione idiomatum.
7. De claudibus regni coelorum.
8. De precibus capitibus doctrinae evangelicae.
9. Apologia verae doctrinae de definitione evangelii.
10. De persona Christi, de unione personarum in Christo, de unione
sui communitate: veram praesentiam corporis et
sanguinis Christi in cena.
11. De peccato originis.
12. De Exorcismo.
13. De summa doctrinae Ecclesasticae.
14. De duabus naturis in Christo.
15. De cena Domini.
16. De visitatione ecclesastica.

Conciones

1. Luc. 12. Unde dicitur non dicitur benedictus etc.
2. Luc. 29. Unde dicitur quod dicitur quod etc.
3. Matt. 4. Unde dicitur quod dicitur quod etc.
4. Matt. 11. Unde dicitur quod dicitur quod etc.
5. Cor. 11. Unde dicitur quod dicitur quod etc.
6. 1. Cor. 13. Unde dicitur quod dicitur quod etc.

PROPOSITIONES

DE

CREATIONE.

De quibus disputabitur in Academia Ienensi,

22. Octobris. Anno 1569.

iuuante Deo.

D. IOHANNES VVI

GANDVS.



Ex Typographia Donati Richtzenhani.

PROPOSITIONES
DE
CREATIONE.

I.

Homo non est conditus, ut tantum comedat, & huius mundi bonis, ad corporalem dumtaxat sustentationem aut voluptatem fruatur, quemadmodum vacca, ouicula, aut alia bestia.

2.

Sed est ratione ornatus, & in centrum mundi collocatus, ut in hoc amplissimo & pulcherrimo theatro, innumera Dei opera contempletur, atque in ijs sapientiam, potentiam, bonitatem, praesentiam Dei creatoris, consideret ac praedicet.

3.

Homini igitur hoc praeter alijs animalibus conuenit, ut saepe creationem & sustentationem mundi meditetur, ac Deum authorem ac Rectorem cognoscat & celebret.

4.

Etsi autem sapientes gentes hoc elegantissimum mundi theatrum vehementer admiratae sunt, ac statuerunt, id esse sapientissimi ac potentissimi Architecti opus:

5.

Tamen efficientem causam tam variarum, tam mirabilium creaturarum, sagacitate suorum ingeniorum inuestigare nequiverunt.

6.

Hinc Ouidius, quaedam de hisce rebus balbutiens, inquit, Quisquis fuit ille Deorum?

7.

Neg.

Neq̄ materiam, unde sint creaturæ productæ & extrin-
sæ, nouerunt. 8.

Neq̄, quomodo initio conditæ sint creaturæ.

9.

Imò nec præcipuum finem creationis perspexerunt.

10.

Proindè ex fontibus Israel, id est, ex scriptis sacris Ec-
clesiæ Dei, vera & certa de Creatione rerum noticia haurien-
da & petenda est.

11.

Est autem creatio mundi, opus Dei, quo iuxta suam sa-
pientiam & omnipotentiam, mundum hunc & omnes creatu-
ras, verbo suo condidit, & conseruat, vt in hoc theatro De-
us innotesceret & celebraretur.

12.

Mundus sic definiri solet. Mundus est totum illud sy-
stema seu compages, facta à Deo, complectens cælum & ter-
ram, & omnes in ijs Creaturas, ideo sic condita, vt Deus in
ea cognoscatur & celebretur.

13.

Non igitur hic mundus, cum suis creaturis, ab æterno
fuit, vt somniat Aristoteles, ignarus Doctrinæ sacræ, sed ha-
bet exordiū, hoc est, isto anno, quo scribimus post saluatoris
nostri Natiuitatem 1569, sunt anni 5531. quando mundus
cæpit esse.

14.

Neq̄ casu cæpit hic mundus, neq̄ ex atomorum fortui-
to confluxu extitit, vt furiosè Epicurei finxerunt.

15.

Ac rectè Cicero huic monstrosæ sententiæ obijcit, Con-

A 2

curso

*cursu atomorum, ne vnã quidem domum in mundo vnq̃
effectam esse.*

16.

Sed Deus est, qui creauit omnia, Hebre. 2.

17.

*Iste autem Deus est Pater, Filius & Spiritus sanctus,
vnus essentia, trinus personis.*

18.

*Nam huic sacrosanctæ Trinitati, opus mundi in sacris li-
teris attribuitur, tum quò ad Creationem, tum quò ad conser-
uationem.*

19.

*Huc Ecclesia antiqua accommodauit dictum Psalmi 33.
Verbo Domini cœli firmati sunt, & Spiritu oris eius om-
nis virtus eorum.*

20.

*Et in primo capite Geneseos dicitur, Bara Elohim, id
est, Creauit Dij, vt denotarentur tres Personæ & vnus De-
us, vt Ecclesiæ doctores interpretati sunt.*

21.

*Pater enim per dixit condidit omnia, & Spiritus Dei
incubauit aquis.*

22.

*Hinc existimat Ecclesia Christi, Euangelistam accepit
se appellationem filij Dei, quòd eum λόγος nuncupauit. Ioh. 1.*

23.

*Et subiecit, Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso fa-
ctum est Nihil, quod factum est.*

24.

*Gentes non modo tenebras, sed etiam inimicitias suas con-
tra Deum prodiderunt, quòd plura Numina commenti sunt,*

quæ

quæ diuersis mundi partibus attribuerunt, vt Ioui Cælum,
Vulcano ignem, Iunoni aërem, Neptuno aquam, Cereri ter-
ram adsignarunt. 25.

Non enim ratione sua cæca assequi potuerunt, quomodo
vnius, tam innumerabilibus rebus in mundo, præesse posset.

26.

Sed noster Deus inquit ad Abrahamum, Ego sum De-
us Schaddai, hoc est, sufficiens, seu omnipotens, Gene. 17.

27.

Huc & illud pertinet, Cælum & terram ego impleo, di-
cit Dominus, Hiere. 33.

28.

Condidit autem Deus Cælum & terram ex nihilo, hoc
est, ex nulla præexistente materia, sola solius verbi diuini po-
tentia. Gene. 1.

29.

Hoc celebrat Dauid inquiens, Ipse dixit & facta sunt,
ipse mandauit & creata sunt, Psal. 33. hoc est, Iubente Deo
omnipotente, vt res existerent, quæ antea non erant, subito
extiterunt ac præstò fuerunt. 30.

Postea verò hac materia ex nihilo, iuxta omnipotentem
Dei voluntatem seu iussionem, producta, quædam aliæ crea-
turæ ex terra, quædam ex aquis formantur, vt postea dicemus.

31.

Somnia itaq; Mentium humanarum sunt, materiam Deo
coeternam esse. 32.

32.

Nam sacræ literæ testantur manifestè, In principio, hoc
est, in primordio rerum, quæ prius nunq̃ extiterant, iussu Dei
primum cælum et terram cœpisse.

A 3

33. Om

33.

Omnia autem in sapientia facta esse, docet Psalmus 104.
Et opus ipsum, ut vulgò dicitur, artificem demonstrat &
commendat.

34.

Nam passim in creaturis mundi, etiam minutissimis ac vilissimis, uti nos quidem eas habemus, emicat sapientia, bonitas, potentia Dei.

35.

Sicut præclarè Ienensis Academia Poëta Stigelius cecinit,

Emicat ex ipsis diuina potentia terris,

Et leuis est cespes, qui probat esse Deum.

36.

Neq; verò simul, id est, vno momento creauit singulas mundi creaturas Deus, sed pro suo diuino consilio, ordinem quendam in condendis rebus obseruauit, quem Moses fideliter & accuratè annotauit.

37.

Primo enim die, cælum ac terram, & vices lucis ac noctis creat.

38.

Secundo firmamentum Deus statuit, ac diuidit aquas super & infra.

39.

Tertio globum terræ & aquæ disponit, ac herbas & arbores omnigenas ex terra producit.

40.

Quarto

Quarto firmamentum ornat lucidis stellis, tum fixis, tum
errantibus, ut vocari solent.

41.

Quinto ex aqua volucres & pisces condit.

42.

Sexto animalia omnium specierum, & tandem domo pa-
rata & vniuerso penu instructo, incolam & Oeconomum
condit hominem, cui postea sociam Oeconomiae & totius vitae
adiungit.

43.

Septimo die cessat Deus, scilicet à condendis nouis
speciebus, eumq; sanctificat, hoc est, festum quo sacra homines
peragerent, instituit, ut postea in Decalogo explicuit.

44.

Omnia autem sunt bona condita à Deo, hoc est, bonae Dei
voluntati congruentia, & destinata ad bonos & salutare
usus. Hoc enim Encomion creaturis, non frustra additur,
Viditq; Deus cuncta, quae fecerat, & ecce (non temerè hoc ec-
ce hic ponitur) erant valde bona.

45.

Nam mala in Diabolis & hominibus, non sunt à Deo,
sed ipsimet sunt eorum authores, ut alio loco exponitur.

46.

Nocent fœuæ bestiae, & herbae venenatae, quia homines
peccarunt, nō nociturae: sed profuturae hominibus sua natura,
& ratione nunc quidē nobis ignota, si homines nō peccassent.

47.

Terra

Terra aliquoties maledicatur post lapsum à Deo, vt Gene. 3. Maledicta sit terra, spinas & tribulos germinabit. Deinde maledicatur propter fratricidium Cain, Gene. 4. Maledictus sis super terram, quæ aperuit os suum, & suscepit sanguinem fratris tui de manu tua. Cum operatus fueris terram, non dabit tibi fructus suos. Tertio in diluuiio, quo vniuersa terra inundatione suffocata est, & sine omni dubitatione, limo, saxis, arena tota illa externa & optima forma immutata est. Gene. 7. Postea verò crescentibus hominũ peccatis sine omni dubitatione, terra subindè facta est deterior, & iam effecta propemodum est, & vt Paulus inquit, Creatura quasi ingemiscit ad liberationem suam.

48.

Monstra, abortus, & errores nature, vt à Philosophis nominantur, ex peccatis etiam hominum proueniunt.

49.

Vult enim Deus, eiusmodi prodigijs homines commonefacere de atrocitate peccatorũ, de ira Dei, & de pænis ingruentibus.

50.

Non enim frustra Deus ista humanis oculis obijcit, id quod sequentia mala testantur.

51.

¶ Porro in creatione mundi mentio fit Paradisi, quòd Deus singulari consilio hortum voluptatis, hoc est, amœnissimum hominibus præparârit, & tradiderit, vt eum colerent, & in eo simul Deo seruirent.

52.

Nam

Nam ut haberent homines exercitia obedientiae erga Deum creatorem, quaedam ipsis arbor, ut loquitur scriptura, est prohibita, ne fructibus eius uescerentur.

53.

Verum astu Diaboli circumuenti, obedientiam Deo debitam, pro dolor, violauerunt.

54.

Iste hortus procul dubio in diluuiio, quod faciem terrae uehementer deformauit, penitus est deletus.

55.

Vana igitur opinio est, terrenum illum hortum adhuc in terris superesse.

56.

Nunc enim paradysus credentium in Christum, est uita aeterna cum Deo.

57.

Sicut autem initio Deus mundum huic condidit, ita adhuc conseruat, regit, moderatur, ut Paulus inquit, Omnia per ipsum consistunt, Hebre. i. Item, In ipso uiuimus, mouemur et sumus. Acto. 17.

58.

Non enim architecto mundano Deus similis est, qui domo extructa, postea discedit, eam incolis committens.

59.

Benedicente autem Deo, cuncta bene proueniunt, & bene se habent, Maledicente uicissim Deo, neque terrae, neque animantibus bene est.

60.

Quemadmodum autem liberrima uoluntate & potentia, Deus initio fecit omnia, ita liberrima uoluntate ac potentia, nunc moderatur omnes creaturas.

B

Solem

61.

Solem potest sistere aut retrahere, & undas findere, ac murorum instar firmare, et similia contra naturæ ordinem efficere, in gratiam eorum, qui se colunt. Est enim Deus omni potens, id quod pijs in calamitatibus summis summæ consolationi est.

62.

Multa etiam facit Deus in natura rerum, quæ non habent naturales causas, Exempli gratia. In mea patria Mansfelt, ex puteo metallico admodum profundo, anno 1539. lapis fissilis exectus est, in quo expressa pontificis Romani effigies stetit, ornata triplici corona, veste pontificali aureis filis contexta, os, oculos, nares hominis habens, ac sedens in sella, una manu ieuata, in quam intuebatur. Hic lapis ad Lutherum, & Iohannem Fridericum, electorem Saxonie Ducem, delatus est.

63.

Mira autem res est, quod eo ipso tempore iste lapis, ex visceribus terræ erutus est, idq. in patria Lutheri, quo Lutherus verbi diuini Ministerio, Antichristum Romanum, diu turnis tenebris contactum, in lucem produxit, totiq. terrarum orbi demonstrauit.

64.

Sic nimirum, Ludit in humanis diuina potentia rebus.

65.

Non autem duraturum esse hunc mundum perpetuò, sacræ literæ attestatur, vt, Cælum & terra transibunt, Mat. 24.

66.

Sed quando id sit futurum, non est exactè reuelatum, Acto. 1.

67.

Cons

Coniecturæ tamen, imò argumenta non pauca sunt ob-
uia, quæ eam rerum creatarum mutationem, haud obscure
portendunt.

68.

Nam Saluator mundi exhibitus est, iamq; vltra an-
nos mille quingentos, Ecclesiam sibi ex gentibus collegit.

69.

Reuelatus est filius perditionis, Antichristus Romanus,
2. Thess. 2.

70.

Gigas Romanus, subindè in pedibus magis magisq; debi-
litatur, Dan. 2.

71.

Crescit potentia Turcica, quæ tamen non constituet
quintam Monarchiam.

72.

Nam Monarchiæ, iuxta vaticinium Danieli oblatum,
proprium est, præfides præcedentis Monarchiæ abolere.

73.

Id verò nondum concessum est Turcis, neq; concedetur,
licet vellicent Romanum Imperium.

74.

Restat igitur Christi aduentus, qui regnis mundi, vna
cum mundo abolitis, regnum æternum constituet.

75.

Petrus & Iohannes testantur, Christum Cælum no-
uum & terram nouam creaturum, in qua Iusticia habitet.

B

2

Sed

76.
*Sed ista videbimus aliquandò per gratiam Dei, In hoc
autem mundo ea explicare non valemus.*

77.
*Totus deniq; mundus conditus est & constat, vt Dei o-
pera, de authore sapientissimo, omnipotenti & beneficentissi-
mo testimonium dicerent, & sic omnes Creaturæ, vt David
loquitur, Deum Creatorem laudarent.*

78.
*Vt homines in medium mundi positi, Deum cognosce-
rent & celebrarent.*

79.
Et vt creaturæ hominum vitæ seruirent.

80.
*Hæc nobis sacræ literæ pandunt & tradunt. Agamus
igitur Creatori & Conseruatori nostro gratias, ac petamus,
vt donec in hac terra exulandum est, verbum vitæ nobis et po-
steritati relinquat, donet pacem, fœcundet agros, & ali-
quandò nos ex misericordia propter Christum, in
æternam Patriam educat, Amen.*



Aug. VI 63


ULB Halle 3
003 877 892



Sb.







4

PROPOSITIONES

DE

CREATIONE.

*De quibus disputabitur in Academia Ienensi,
22. Octobris. Anno 1569.
iuuante Deo.*

D. IOHANNES VVI
GANDVS.



Ex Typographia Donati Richtzenhani.

